Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



58

Respondentes sydrach· misach· ⁊ abdenago. Dixerũt nabucho
donosor regi· Non oportet nos de hac re respondere tibi· Ecce enim
ds nr· quẽ colimus potest nos liberare de camino ignis ardentis· ⁊ de manibus
tuis o rex liberare· Quod si noluerit· notum tibi sit rex quia deos tuos non coli
mus· ⁊ statuam auream quam erexisti non adoramus· Tunc nabuchodonosor
repletus est furore· ⁊ aspectus faciei illius immutatus est· super sydrach· mi
sach· ⁊ abdenago· Et precepit ut succenderetur fornax septuplum quam
succendi solebat· Et viris fortissimis de exercitu suo iussit ut ligatis pedibus sydrach· misach· ⁊ abdenago· mitterent eos in camminum
ignis ardentis· Et continuo viri illi uincti cum braccis suis· ⁊ tyaris·
⁊ calceamentis· ⁊ uestibus· missi sunt in medium fornacis ignis ardentis·
Nam iussio regis urgebat· Fornax autem succensa erat nimis· Porro viros illos qui miserant· sydrach· misach· ⁊ abdenago· interfecit flamma ignis· Viri autem hi tres id est sydrach· misach· ⁊ abdenago· ceciderunt in medium camminum ignis ardentis colligati· ⁊ ambulabant in medio flamme· laudantes dm· ⁊ benedicentes dnm·

In nocte sancto paschae· ad missam· Ad Colossenses·

Fres· Si consurrexistis cum xpo· que sursum sunt querite· ubi xpus est ad dexteram di sedens· que sursum sunt sapite· non que super terram· Mortui enim estis· ⁊ uita uestra abscondita est cum xpo· in deo· Cum autem xpus apparuerit uita uestra· tunc ⁊ uos apparebitis cum ipso in gla· ℣· Oratum·

Vespere sabbati que lucescit in prima sabbati· uenit maria magdalena ⁊ altera maria uidere sepulchrum· Et ecce tremotus factus est magnus· Angelus enim dni descendit de celo· ⁊ accedens re uolutum lapidem· ⁊ sedebat super eum· Erat autem aspectus eius sicut fulgur· ⁊ uestimentum eius sicut niue· Prae timore autem eius exterriti sunt custodes· ⁊ facti sunt uelut mortui· Respondens autem angelus· dixit mulieribus· Nolite timere uos· Scio enim· quod iesum quaeritis· Non est hic· Surrexit enim· sicut dixit· Venite ⁊ uidete locum· ubi positus erat dns· Et cito euntes dicite discipulis eius quia surrexit· ⁊ ecce precedet uos in galileam· Ibi eum uidebitis· ecce dixit uobis·

In die sancto· Ad Corinthios·